

episcopus fuerit, sive alius, omnibus sui Ordinis vestibus sacris indutus, et singulis ornamentis ornatus, habens in manibus ornamentum ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in suo officio ministrare, adducitur ante Pontificem, coram quo genuflectit. Tum Pontifex, ut supra sedens, populo in vulgari notificat degradationis hujusmodi causam; deinde contra degradandum sententiam fert in hæc verba, si sit Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, vel Clericus, et prius hujusmodi sententia lata non sit.

**I**N nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. Amen. Quia nos **N.**, Dei et Apostólicæ Sedis grátia Epíscopus **N.** per viam accusatiónis **vel** denuntiatiónis, **aut** inquisitiónis cognoscéntes de crimine **N.** contra **N.** Presbýterum, **vel** Diáconum, **vel** Subdiáconum, **seu** Cléricum propter ipsíus confessi-ónem, **vel** legítimas probatiónes, evidénter invénimus eum ipsum crimen commísisse, quod cum non solum grande, sed étiam damnábile, et damnósum sit, et ádeo enórme quod exínde non tantum divína majéstas offénsa, sed et univérsa civitas commóta est, et ob hoc indignus officio, et beneficio ecclesiástico sit rédditus, idcírco nos auctoritáte Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, et Spíritus sancti, et nostra, ipsum omni hujúsmodi officio, et beneficio ecclesiástico sententiáliter perpétuo privámus in his scriptis, ipsúmque ab illis verbo depónimus, et pronuntiámus réaliter et actualiter secúndum tradi-tiónem Cánonum deponéndum, et degradándum.

Qua sententia sic, ut præfertur, lata, Pontifex degradator aufert ab illo singula ornamenta sibi juxta Ordinem suum tradita, inchoando ab ultimo ornamento, et descendendo gradatim, continuans usque ad primum, quod in prima Tonsura sibi datum fuit, hoc Ordine:

### DEGRADATIO AB ORDINE PONTIFICALI.

Si degradandus sit Archiepiscopus, Pontifex degradator aufert ab eo pallium, sic dicendo:

**P**rærogatíva pontificális dignitátis, quæ in pállio designátur, te exúimus, quia male usus es ea.

Deinde, vel si degradandus sit Episcopus tantum, Pontifex degradator amovet ei mitram, dicendo:

**M**itra, pontificális dignitátis videlicet ornátu, quia eam male præsidéndo fœdásti, tuum caput denudámus.

Deinde unus ex ministris tradit degradando librum Evangeliorum, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi, dicens:

**R**edde Evangélium; quia prædicándi officio, quo spreta Dei grátia te indignum fecísti, te juste privámus.

Deinde Pontifex degradator amovet anulum de digito degradandi, sic dicens:

**A**nnum, fidei scílicet signáculum, tibi digne subtráhimus, quia ipsam sponsam Dei Ecclésiám témere violásti.

Tum unus ex ministris tradit degradando in manus baculum Pastoralem, quem mox Pontifex degradator tollit de manibus degradandi, dicens:

**A**uferimus a te báculum pastorálem, ut inde correctiónis officium, quod turbásti, non váleas exercere.

Deinde extractis sibi per ministros chirothecis, Pontifex degradator abradit degradando pollices et manus leviter cum cultello, aut vitro dicens:

**S**ic spirituális benedictiónis, et delibutiónis mysticæ grátia, quantum in nobis est, te privámus, ut sacrificándi et benedicéndi perdas officium, et effectum.

Post hæc Pontifex cum eodem cultello aut vitro abradit leviter caput degradandi, dicens:

**C**onsecratióem, et benedictiónem, atque unctiónem tibi tráditam radéndo delémus, et te ab ordine pontificáli, quo inhábilis es rédditus, abdicámus.

Tum degradando per ministros extrahuntur sandalia.